ECCLESIA SPALATENSIS

OLIM SALONITANA

FUNDATA A DOMNIO ANTIOCHENO

PRIMO DIVI PETRI DISCIPULO

METROPOLITANA PRIMATIALIS

DALMATIÆ AC TOTIUS CROATIÆ

AGGREGATA BASILICÆ VATICANÆ

A BENEDICTO XIV

JAM EPISCOPALIS

PIO IX PONTIFICE MAXIMO FELICITER REGNANTE

LÆTATUR

PRO CLERI JUNIORIS INGRESSU

IN NOVUM SEMINARIUM

KALENDIS MAJI

MDCCCLXVIII.

SPALATI

TYPIS ANTONII ZANNONI

1868.

ELOGIUM

Ecclesiæ et Urbis Spalatensis

AD

SODALES.

Christiana pietas et amor patriæ meum cor animumque excitant scribendi de antiquitate ac gloria Ecclesiae et Urbis Spalatensis olim Salonitanæ ad Sodales certiores reddendos de celebriori Episcopali Sede et Civitate Austriaci Imperii.

Etenim testante Dalmata Hieronymo: Petrus Ap. secundo Claudii anno Antiochia Romam venit cum Domnio, Apollinare et Pancratio; hos ipse Petrus erudivit, sacro insignivit ordine, et ex eis Domnium undecimo Neronis anno Salonas misit Praesulem, qui cum commissum sibi opus per annos 40 fideliter prosequeretur; tandem jussu Praefecti M. Aurelii impius miles caput ei abstulit ense; sic martyrium complevit VI Trajani anno. Illius successores habuerunt XXIV Episcopos Suffrageneos per civitates ab Adriatico mari usque ad ripas Danubii; uti refert Farlati T.o I, ex quibus patet Salonitanam Eccl. esse omnibus antiquiorem in Austriaco Imperio.

Insuper Gregorius Magnus Metropolitae Salonitano scripsit epistolam, cum qua Archiepiscopale pallium misit plenaria jurisdictione erga Episcopos Suffraganeos, cujus originale documentum servatur in Archivio Vaticano, et ejusmodi exemplar invenitur in I. R. Archivio Vindobonensi.

Urbe Solonarum 639 eversa, jura Metropolitica illius Eccl. auctoritate Pontificia Spalatum sunt translata, Thoma Archd. Sp, testante qui ait; « concessum est a Sede Apostolica, ut totius « dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtine- « ret Ecclesia Spalatensis cap. 11 Saec. XIII. Fuerunt in Eccl. « Spal. Archiepiscopi, quibus ex privilegio Salonitanæ Eccl. om- « nes Episcopi superioris et inferioris Dalmatiæ obediebant ut- « pote Suffraganei.

« Ex Mica Madio: Licet igitur, quod civitas Spalati sit de- « pressa in temporalibus, tamen in spiritualibus superat et ex- « cellit omnes Civ. de Dalmatia honore et dignitate, eo quod « Archiepiscopus Spalat. vocatur Primas totius Dalmatiæ. ex « Sæec. XIV.

« Ex Thomco Marnovicio: Ipsi Archiepiscopi Spalatenses « alias Salonitani appellantur, ut ostendant ortum suae dignita- « tis. Spalatensem autem Urbem totius Dalmatiæ principem fuisse « patet.

Ideo Ecclesia Spalatensis vocatur olim Salonitana, quæ re- vera est prima et fidelissima Sanctæ Sedis Apostolicæ Filia; prima filia, quia anno 65 fundata est a Domnio primo Divi Petri discipulo; fidelissima filia, quia nunquam ab Haeretica, vel Schi- smatica labe per omnia Religionis saecula fuit poluta, testante celeberimo Theüner.

Saeculo XVII Rota Romana in controversia orta cum Pa- triarca Veneto statuit, ut Primas Spalatensis Sforza Ponzoni, ejusque Successores semper retineant, uti ab antiquo jura et privilegia erga Suffraganeos, cujus rei documentum servatur in Archivio Vaticano et Spalatensi ad perennem Cleri et populi memoriam, uti refert Berghelich Vic Sp. 1817.

Benedictus XIV P. M. anno 1755 Ecclesiam Spalatensem aggregavit Basilicae Vaticanae, uti quisque inspicere potest in superiori lapide ostii Primatialis Ecclesiae.

Sub auspitiis ejusdem Pontificis Pacificus Bizza Archiepi- scopus pro Clero Illyrico Dioecesano fundavit Seminarium de Priko trans fluvium Alminiensem a. 1740, ex quo prodierunt boni et vigiles in cura animarum pastores. Idem ait: « quemad- « modum Salona fuit tempore Augusti prima Illyrii Metropolis, ita « Ar. Spal. easdem retinet praerogativas propter quas, ut olim,

« ita et nunc Dalmatiae, et totius Croatiae Primatialis nomine « decoratur. »

Deinde ipse Bizza, uti agit Primas Salisburgensis, voluit ex suo Capitulo proponere Summo Pontifici tres Canonicos, nempe Riboli, Manola et Scotti, ex quibus primum elegit Episcopum Dioecesis Pharensis, secundum Traguriensis, tertium Sibenicensis, sicuti praeteriti saeculi testatur historia; ex quo tempore Curia Romana Capitulum Spalatense appellavit Collegium Episcoporum.

Jo. Lucius: Venerabili Metropolitano, Primatialique totius Dalmatiae et Croatiae Capitulo Spalatensi, Farlati autem refert: « Capi« tulum Spalatense vel antiquitate, vel dignitate, vel privilegio« rum amplitudine, et virorum illustrium numero cum nobilissi« mis cujusvis civitatis Capitulis haud immerito conferri potest.»

Post tantam celebritatem et gloriam homo quidam contradicens veritati et historiae, uti mihi narravit Optimus Jüstel mense Septembri 1829, in errorem induxit Aulicos dicendo: Archiepiscopum Spalatensem fuisse Primatem honoris, non vero jurisdictionis, propterea documenta a Berghelich Vic. Sp. oblata mense Aprili 1817 penes se retinuit; omnia absque juridica pertractatione egit ne quidem unius Suffraganei postulato consensu; nullo habito respectu ad illius antiquitatem, ad jura et privilegia concessa a S. Sede Apostolica et a Regibus; absque formali renuntiatione hujus Capituli, quod anno 1828 ad tale infortunium devenit, ut duo tantum Capitulares in vivis manserunt.

Ecce breviter exposita est causa et origo et quomodo Sedes Primatialis antiquior in Austriaco Imperio facta est Sedes Episcopalis.

In praesentibus rerum adjunctis ad ejusmodi damnum ex aliqua parte tollendum, necesse est ut accedat Superioris consensus ad obtinendum Sedi Spalatensi saltem Archiepiscopalem *Titulum sine Suffraganeis ad instar Sedis Utinensis ex a.* 1848.

Tandem si plures Ecclesiae ab Apostolis, et ab eorum discipulis fundatae, modo in partibus infidelium sine jurisdictione sunt, tamen eorum Praesules alibi morantes titulum Archiepiscopalem vel Patriarcalem retinent ad servandam tantae rei memoriam; nulla ergo datur rationalis causa, cur Spalaten-

sis Ecclesia fundata a primo Divi Petri discipulo, sola in Austriaco Imperio antiquior cum perenni Archiepiscopali jurisdictione omnibus Religionis Christianae saeculis Catholica, Summo Pontifici fideliter subjecta, adhuc summopere abjecta manet! Quomodo in praesenti saeculo illi ablatum fuit tale ac tantum decus, quod nunquam legitur evenisse ablatum Ecclesiae in orbe Catholico existentis, uti 7 Julii 1856, dixit celeberimus Theüner in Vaticano Archivii Praefectus, qui ex Capituli Spalatensis mandato a duodecim annis frequenter in arenam descendit strenue certando, nec quiescet a labore in certamine, donec Ecclesia Salonitana ab hoste obtinuerit victoriam, quae adhuc manet in votis, ut sub auspiciis Pii IX feliciter Regnantis in sacra Congregatione Concistoriali, vel ex consensu Universalis Ecclesiae in proxima Aecumenica Synodo error relate ad Sedem Spalatensem sit absolute delendus, quia a jure Canonico et Civili semper rejicitur ejusmodi error, qui ex historia omnium temporum unicuique patet; et ex codice legis per testes fide dignos comprobatur, nam ubique in mundo apud dissitas quoque nationes viget tanquam juridicum axioma!

" Quod lege est actum, et testes per saecula firmant,
Error non tollit, nec sine jure perit. „

Cum ergo agitur modo de simplici titulo obtinendo pro Episcopali Sede Spalatensi; et lecto 3 Volumine Farlati de Archiepiscopis Spalatensibus; Aulici in utroque jure doctores, libenter cum S. Sede conveniunt tradendi Spalatensi Ecclesiae antiquiori in Austriaco Imperio titulum, quem retinuit a primo Religionis Christianae saeculo; propterea Coelites ex Olimpi vertice divina comitante gratia, cor animumque hujus populi exhilarant a pluribus annis exposcentis, ut ad Spalatense votum accedat quoque consensus Metropolitae, qui ob amorem patriae nullo modo poterit amplius contradicere veritati, invictis rationum momentis laudabiliter ab eo in lucem prolatae, quae simul Ecclesiae Spalatensis antiquitatem sapienter exponit; nec non ejusdem Urbis celebritatem et gloriam fideliter narrat, uti accurate per saecula universalis testatur historia.

Re quidem vera Diocletianus Imp. R. labore gravatus et annis, valedixit imperio: rediit ad patrios lares; in centro et

in ameniori regione sui dominii lapidibus quadris sibi aedificare fecit Salonae palatium latum, quod Romani Spalatum appellare coeperunt. Farlati T. I.

Salona autem a barbaris ferro et igne ad terram prostrata incolae illius Urbis fugam capientes, Spalatum tulerunt eorum opes; aedificaverunt domos, et brevi tempore facta est civitas repleta populo, major omnibus civitatibus Dalmatiae.

Itaque Spalati servantur Romanae antiquitates, plusquam in Austriaco inveniuntur Imperio. Nam praeter tot lapides, Epitaphia, inscriptiones et numismata, quae extant in patrio museo, eminent quoque ingens Diocletiani Mausoleum, peristylium, et templum Jovis ex magno lapide extructum, forma orbiculati ad instar Romanum Pantheon, exsterius uno ordine columnarum, interius duobus quidem ordinibus pro sustinendo superiori et inferiori choro, in quo quatuor sunt columnae ex pretioso porphirite, et reliquae ex granito orientali omnes de Aegipto translatae, eleganter compositae, quae ita nostram Cathedralem per saecula exornant, ut in orbe catholico parem nullibi quis poterit invenire; ideo saepius fuit visitata ab Anglis, Gallis et ab Hungariae Regibus, Andrea Colomano, Bela IV, a Regina Maria, cujus duae filiae in sarcophago marmoreo quiescunt ad ostium templi, prope quod Elisabeth Regina sua munificentia magnificam aedificare fecit turrim, quatuor ordinibus columnarum superpositis, Spalatum translatis ex Salomnarum ruinis.

Spalatum meretur laudibus ad sidera tolli, quia habet Seminarium fundatione Pontificia exstructum ex quo praestantes prodierunt Philosophiae Professores sicuti Berghelich, Tochich, Carrara, et alii cum doctissimo Tommaseo, qui Spalati in Scientiis et litteris, more Accademico postquam fuerunt edocti, ad Antenoris Urbem profecti, in illa celeberima Universitate lauream obtinuerunt coronam. Haec Civitas habet Bibliotecam, ingens Theatrum et omnis generis Instituta. Insuper adsunt quoque palatia more Romano constructa; in hac Urbe nihil amplius deest, nisi via ferrea ad ripas Danubii.

Haec quoque Civitas est celebris in scientiis, artibus et litteris; nam uti antiquitus moris fuit in urbe, ita quoque die **11** Augusti anni proxime elapsi polimetro carmine, et vario idiomate in Sacra Gosmanorum Aede publice universali applausu studiosa

juventus laudes exposuit de virtute et praestantia Praesulis optime meriti erga Clerum et populum hujus Dioecesis, laborantes pro Dei gloria in aevum servanda. Interea nostri cives gloriari possunt de eorum dexteritate in suis juribus tuendis contra hostes; nam sicut in viciniis Spalati olim naves Liburnicae cum strenuis Salonae incolis de Romanis obtinuerunt triumphum ita anno 1866 die 20 Julii Classis Austriaca cum Dalmatis gloriosam de hostibus retulit victoriam, quam nostri cives ex vicino monte aspicientes, canebant canticum Domino, narrantes mirabilia, et plaudentes manibus, dicebant cum Divo Paulo « infirma mundi elegit Deus, ut fortia quaeque confundat. »

Ex his omnibus ergo patet Ecclesiam Spalatensem, olim Salonitanam antiquiorem esse omnibus Ecclesiis Austriaci Imperii, ideo grata Ecclesiae et Urbis Spalatensis memoria nunquam de generatione in generationem delebitur in Austriaco Imperio, dumodo huic Ecclesiae saltim titulus Archiepiscopalis servetur, cujus jurisdictionem omnibus Religionis Christianae Saeculis legitime retinuit, uti typis mandarunt Farlati Theüner, Carrara et plures alii, qui pro juribus hujus Urbis et Ecclesiae tuendis tradiderunt veritatem, et dilexerunt justitiam, servantes monitum Regis David dicentis: Diligite justitiam, et erudimini, qui judicatis terram.

Spalati, Idibus Aprilis 1868.

PETRUS MANGER
Decanus Capitularis.